

erga genus humanum voluntas, velut in clara & viva imagine relucet, eccur igitur Patrem tibi ostendi postulas? Aug. tract. 70. in Johannem: Cur in similibus distantiam cupis cernere? cur inseparabiles separatim desideras cognosse? Recte Ambrosius L. I. de Symbolo: Filius, inquit, ab Esaia propheta in regnantis solio habituq; visus est: Sed propter consortium Majestatis, unitatemque substantiae Spiritus S. in Propheta est locutus. Adduxit locum Petavius de Trinit. L. VIII, cap. II. §. 13.

## § 15.

Vidimus gloriam Domini visibili signo Esaia exhibitam, progredimur ad Seraphinos, summi Regis ministros, gloriaeque ejus praecones. שרפים נחשים *seraphim serpentes* sunt serpentes igniti, quibus Deus Israelitarum inobedientiam punivit Num. XXI. 6. & 8. Deut. VIII. 15. Ejusmodi serpentis mentionem quoque facit Esaia eamque volantem appellat, cap. XIV. 29. ex progenie serpentis progredietur regulus, & fructus ejus erit שרף מעופף *saraph serpens ignitus volans*, confer. cap. XXX. 6. Qua ratione angeli nostri seraphim appellentur, altioris est indaginis. Veritati non est consentaneum, eos serpentum ignitorum formam externam assumpsisse, serpentes enim naturales non habent pedes quod *Bocbartus de Animal. P. I. lib. cap. IV.* plurimis testimoniis confirmat. Nostros vero Seraphinos non pedibus solum, sed & manibus fuisse instructos facieque ornatos, noster Propheeta docuit. Versu enim 2. dixit: *seraphinos duabus alis facies, duabus pedes texisse* & v. 6. addit: *unum Seraphinorum manu sua carbonem ab altari abstulisse, eoque Propheeta os tetigisse.* Et licet alatos angves concedamus, quorum mentionem Propheeta noster cap. XIV. 29. & cap. XXX. 6. fecit; extra dubium tamen est positum, angves alatos non sex alis fuisse praeditos. Ex hac observatione apparere putamus in-

ter